

quàm *positio respectiva*, quâ corpus hoc, (silex) quod antea non tantum materialiter, sub certo Numero communi s. Genere (Lapidum) sed & partim formaliter, negativè nimirum, quod non sub hac turmâ, (non sub lapidibus pretiosis) sit, concipiebatur, nunc etiam ex altera parte formaliter concipitur, nimirum positivè, tanquam Subiectum, quod sub hac altera distinctâ turmâ Numeri communis (sub lapidibus vulgaribus) locum habet, & ita quod certæ speciei sub hoc Genere, sive certo Numero particulari totius Numeri communis, addictum est, qui particularis Numerus ab altero particulari distinctas rationes habet.

§. 8. Recurrunt igitur & hîc ipsi Numeri, nec forma seu modus quicquam est, nisi Numerus sublit. Sed utriusque Numeri rariùs expressa fit mentio, propterea, quod numericam rationem brevitatè ergò certis nominibus, Substantivis vel Adjectivis, involvamus, v, g. quando dicimus, *silecem esse lapidem* (non pretiosum sed) *vulgarem*, i, e. esse unum ex numero communi lapidum, non autem unum ex numero speciali gemmarum, sed unum ex altero speciali numero, nempe vulgari: Nomina namque cuncta rationem numericam habent, quippe *singulariter* unum, *pluraliter* multitudinem, innuentia, nec quicquam ultra numericam rationem important, quàm Relationem similitudinis aut dissimilitudinis, quâ res & essentia definienda partim cum quibusdam conveire, partim cum aliis disconvenire, subinnuitur. Quale quid autem illud præcisè sit, in quo res cum re convenit, aut à re distinguitur, obiter saltem & levi brachio, confusè magis innuunt vocabula Generis & Differentiarum, in posterum, ubi modus ad intra definietur, clariùs explicanda.

§. 9. *Modus corporis ad intra* partium intuitu sic dicitur, & se sistit sub ratione DISPOSITIONIS, diciturque *forma physica*, quæ, saltem denominativè considerata, spectatur vel *absolute*, quatenus singulas partes, quamlibet seorsim, afficit; vel *relative*, quatenus partes inter se relatas, plures inter se collatas, afficit. Utrobique dispositio spectatur, 1. *Simpliciter*, vel ut *una*, diciturq; *SITUS*, vel ut *plures*, una post alteram, diciturq; *MOTUS*: 2. *Mixtè*, diciturq; *FORMA*.

§. 10. *Absolute* si spectetur Dispositio saltem in una parte corporis & quidem, ut *una* dispositio, vocari potest *situs absolutus*, & est vel

C

purus